

**Exercitium medicum, de calculo vesicæ, ... / sub auspiciis ... Gerardi Leon. Blasii, ... publicae eruditorum disquisitioni submittet Sigismundus Schultz.**

### **Contributors**

Schultz, Sigismundus  
Blasius, Gerardus Leonardus, 1626?-1692  
Universiteit van Amsterdam.

### **Publication/Creation**

Amstelodami : Apud Joannem Ravensteinium, MDCLXVI. [1666]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zzdm7trh>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

m. 767  
4

EXERCITIUM MEDICUM,  
De  
CALCULO VESICÆ,

Quod  
DIVINA FAVENTE GRATIA  
Sub Auspiciis

*Clarissimi Experientissimique Viri,*

D. GERARDI LEON. BLASII,  
Medicinæ Doctoris, ejusdemque faculta-  
tis in Illustri Amstelodamensium  
Athenæo Professoris Ordinarii,

*Publicæ eruditorum disquisitioni submittet*

SIGISMUNDUS SCHULTZ, Gedanensis.

*Ad diem Veneris, qui XVI Julii, Horis solitis.*



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM RAVESTEINIUM,  
Civitatis & Illustris Scholæ Typographum. MDCLXVI.




NOBILI  
FRATRUM PARI  
JOHANNI GEORGIO }  
ET } SCHULTZEN  
CAROLO }

UTRIQUE GERMANO DILECTISSIMO  
SUAVISSIMO, BREVE HOC, AC QUAE-  
LECUNQUE EXERCITIUM MEDI-  
CUM; FRATERNI PECTORIS AF-  
FECTUM TESTATURUS,

D. D. D.

AUTH. ET RESP.





de

## CALCULO VESICÆ.

Quanta sit magni illius mundi cum Microcosmo convenientia, nemo, opinor, facilè negaverit, cum omnium id expositum oculis, luce meridianâ clarius elucescat. Varios variis in locis fontes, thermas, ac fluvios invenire licet, qui obvia quæque in lapides convertunt, ac, ut Poëta loquitur: totis inducunt marmorarebus. Similes in microcosmo quoque reperias fontes petrificos, qui magnam sæpè lapidum, pondere, figurâ, ac colore diversorum generantes copiam, eò curiosum ac sanitatis amantem pertrahunt animum, ut de expellendo duro hoc ex corpusculis nostris tam delicatis hospite unicè fiat solliciti. Ad quod nostram quoque qualemcunque conferentes operam, brevem de Calculo Vesicæ Discertationem B.C.D. instituemus.

## THESIS I.

**N** Psum Calculi NOMEN atque (1) ETYMOLOGIAM quod concernit; Vox illa *Calculus* originem suam non à Calce, maximo illo extremi pedis ossè, sed cæmento s. pulvere cocto, ut *Statius* appellat, trahere videtur; estque sic Calculus diminutivum quasi Calcis, denominatione sic satis commoda ac conveniente. Quoad HOMONYMIAM (2) modò pro latrunculis ac fritillis, modò pro computatione, modò pro suffragio, modò pro substantia solida & lapillosa, modò denique pro affectu ipso qui ex calculo, partes aliquas mirè torquente, provenit, accipitur.



Quod (3) **SYNONYMIA** M spectat, peculiariter morbus hic *Hippocrati* λιθίασις appellatur, vid. *f. 4. aph. 78* & *f. 3. aph. 26*. Hinc *Celsus* & *Ammonium* felicem in excindendo calculo artificem, *Lithotomum* appellatum fuisse indicat, *l. 7. c. 26*. Latinis: calculus, passio calculosa, faburra, fabulum, &c. appellatur. Germani nuncupant *den Stein, Blasenstein, Steinweh* &c.

**II. DEFINITUR** Vesicæ Calculus quod sit Morbus à Calculo in Vesicæ urinariæ cavitate, ex materiâ lapidificâ & salinâ genito vel aucto proveniens, immenso dolore & symptomata alia, ipsamque aliquando mortem inducens.

**III. GENUS** affectus hujus morbum esse dicimus reducentes eum ad morbos in numero, & quidem excedente, quia calculus est supra numerum eorum quæ in vesica contineri debent vid. *Sennert. Inst. Med. l. 2. p. 1. c. 7*. Neque verò cum aliis per substantiam Calculum definimus, cum eum, seu substantiam, & rem quæ toto genere præter naturam est, consideratum, non Morbum ipsum, sed causam potius ejus esse statuamus, conf. *Valleriol. Enarr. Med.* **SUBJECTUM** Morbi hujus Vesicæ Urinariæ posuimus, cum in præsentiarum de Vesicæ solum calculo agere sit propositum; quanquam nos non lateat omnes ferè corporis partes λιθίασιν (latius paulo hoc accepto vocabulo) pati posse, uti ex longo fat exemplorum cathalogo à *Sennerto inst. Med. l. 2. p. 2. c. 9* *Ioh. Georg Schenckio in Lithogenesis*, & aliis consignato videri licet. Confer. *Phil. Iac. Sachs à Lewenheimb in Responsoria ad I. Dan. Majorem Dissert. de Mirandâ lapidum naturâ*.

**IV. CAUSA** morbi nostri *prima & immediata* calculus ipse est, quatenus vesicæ urinariæ aut solo pondere est molestus, aut, dum hinc & inde vagatur, interi



rem matricis suæ tunicam pungit quasi & lacerat, aut denique ipsum jam collum occupans, ischuriam, stranguriam, dolores intensos aliaque symptomata inducit. Quod si enim causa morbi id est, quo tangente afficimur, & quo separato cessat affectus, calculus certe necessaria affectus hujus causa erit: ob hunc quippe actio & dispositio partium naturalis læditur & vitiatur.

V. Materiam calculi hujus, (quæ ad Causam morbi *Mediatam proximam* pertinet) si exhibere debeamus, eam non immeritò terream, limosam ac tenacem statuemus, secuti in eo primum medicinæ parentem, qui *l. 4. d. Morb.* ex pituita crudâ sedimento permixta, & in glutinum concreta calculum fieri statuit. confer. *l. de aëre loc. & aq.*

VI. De Efficiente verò Materiæ hujus lapidosæ causa solliciti, tot in diversum abeuntes referimus authores, ut cui potissimum nos jungere parti debeamus haud ita judicatu sit facile. *Alii* inter quos *Aretæus* & *Ruffus*, soli Frigiditati opus totum, attribuunt existimantes inde fieri quod in matulis urina frigefacta, demum crustas suas apponat. Verum enim verò, cum impossibile sit actuale ejusmodi frigus in corpore vivente dari, deserenda hæc causa erit, neque arenularum illa ad matulam accretio frigori externo tribuenda, cum alias caliditate accedente iterum facile solveretur. *Alii* contrarium sentientes calori ceu principio ubique activo negotium hoc adscribunt, Patronum forsan habentes *Coum qui lib. d. Nat. Hom.* ob vesicæ & totius corporis caliditatem calculos in pueris gigni asserit. quod & *l. d. aere. loc. & aq.* repetit. Sed neque calorem hunc exsiccantem negotium omne absolvere ratio suadet; quippe frigida ac membranæ vesicæ substantia, & contentus in eadem ferè semper humor excrementitius adeò calori atque exsiccationi huic vi-



res omnes adimunt, ut in aliis potius longè calidioribus corporis partibus, calculos gigni debere, statuendum esset. Aliud ergo adhuc calori junctum coagulationis principium & vim λιθοποιητικὴν subesse existimandum est quam plerique succo lapidescenti & spiritui lapidifico seu, ut Chymiatri loqui amant, sali, aut sali petriæ attribuant, quod sal, ut verbo complectar omnia, præcipuum generationis & coagulationis est principium. *Sennert. Inst. Horst. probl. decad. 8. q. 1. Th. Bartholin. de Nivis usq. Ionston in adm. foss. vid. Joh. Dan. Major. d. Cancr. & serp. petrefactis §. 5.*

VII. *Causas* Calculi *mediatas remotas naturales* constitunt 1 *Ætates* quorum respectu juxta *Hipp. s. 3. aph. 26.* Pueri Lithiasin patiuntur; Senes verò fiunt nephritici *Ibid. aph. 31.* quanquam & hos sæpè morbo hoc affligi videamus, & teste eodem *Coo*, pueri adhuc in cunis vagantes calculo jam discrucientur *d. Morb. l. 4. & d. aer. loc. & aq. 2.* *Sexus*: cujus ratione minus molestiarum in excretionem experientum fæminæ quam viri, quod, ut loquitur divinus senex. loco dicto vesicæ fistula urinaria iis brevis & ampla sit, ut facile urinam propellat. Accedit adhuc hæreditaria ac congenita constitutio quam liberis ac nepotibus sæpè testamento quasi relinquere experientia ostendit. ut veriss. dicet *Plin. Jun.* Etiam morbos per successiones plerumque ut alia tradi.

VIII. *Inter causas mediatas remotas non-naturales* morbo huic auxiliatrices quasi porrigunt manus (1) *air* præsertim in ανωμαλία & διορθωσιά calidâ, figida & maximè sicca existens. (2) *Victus*, tam quantitate quam qualitate peccans, qualis inter potulenta, est aqua e fontibus saxosis & metallicis proveniens, vel ex variis fontibus & lacubus permixta, vid. *Hipp. d. aer. loc. & a.* Neque semine petrifico destituuntur vina in argilloso fo



solo nata ; ut & Cerevisiæ minus rectè defæcatae &c. Inter cibos, ut paucis complectar omnia, cruda, crassa malecocta & sæculenta utramque hic faciunt paginam. *Gal. l. 3. aliment. fac. c. 15. 16. 17. l. 6. Epid. s. 3. §. 15. & sect. 4. §. 10. Horst. d. tuend. sanit. l. 2. c. 7. Gesnerum de lacte & operibus lactariis.* Referri huc etiam *Motus, somnus & vigilia, animique pathemata*, ut & alia aureum illud medium excedentia commode possunt: quippe symbolum suum aliquando etiam conferentia.

**IX. DIFFERENTIAS** Morbi hujus singulas ordine recensere velle, hominis esset otii & chartæ abutentis. Paucis: (1) *ratione generis* alius incipiens, alius periodicus, &c. (2) *ratione subjecti*, alius in dextrâ alius in sinistra parte, alius cutaneo concluditur involucro, alius ipsi vesicæ adnascitur *Ioh. Schenck. obs. Med. l. 3. obs. 269. & 270.* (3) *ratione causarum*, alius hæreditarius alius adventitius, alius durus, alius asperior &c.

**X. SIGNA DIAGNOSTICA** Calculi exhibent nobis sequentia: pruritus circa pubem in Masculis *Hipp. d. aère loc. & aq. mictio cum ardore & guttatim interdum promptè facta. Hipp. Coac. prænот. aph. 472. Dolor in perinæo. Hipp. Sect. 4. aph. 79. urina sabulosa Sect. 4. aph. 78. &c. confer. sæpius nominatum senem, l. 4. d. Morb. Celsum l. 2. c. 7. Fernel. Patholog. l. 6. c. 13. Quin & cathetere præsentia ejus potest explorari: quanquam si propria investiatur Membranâ ita se potest occultare, ut periti etiam operatoris manus effugiat. vid. Paræum l. 17. c. 36.*

**XI.** Cum autem vesicæ calculus renalem sæpè mentiatur, neque rudioribus modò, sed peritis etiam aliquando imponat, quod & *Hipp. innuit. de intern. Affect.* experientia observatum est variis illum ab hoc dignosci posse signis, quæ, ut tempori parcamus, jam non adduci-



mus, unicum tantum instar omnium hic adducente  
*Andr. Laurent. qui in Anat. l. 6. quest. 29. pluribus hæc*  
dilucidavit.

XII. SIGNA PROGNOSTICA secundum *Eventum* spectata desumi possunt (1) ex Affectu ipso qui si ve-  
vehemens sit vel mitior, lethalem vel prosperum quoque  
exitum pollicetur. (2) ex subjecto, quo pertinet illud  
*Hippocraticum 6. aph. 6. Renum & vesicæ vitia in senibus*  
*ægrè curari. vid. & Epid. l. 6. sect. 8. aph. 4.* (3) ex Causis  
quarum respectu majores vel minores calculi majorem  
quoque minoremve efficient Morbum. *Secundum Dura-*  
*tionis tempus, considerata signa ut plurimum Chronicum hunc*  
pronunciant Morbum, cum plerosque per totum vita  
tempus socius hic sed heu! inacceptus, comitetur. Deni-  
que *secundum solutionis modum* si spectentur hæc signa, ve-  
integram vel partialem ejus ablationem promittunt, qua-  
tenus vel Natura & medicamenta vincunt, vel nimix huius  
quotidie de novo accedenti lapideæ molli succumbunt.

XIII. Ad PRESERVATIONEM ergo morbi ipsam transi-  
seuntes, fontem primo *Chirurgicum* offendimus, quæ  
ætate, sanguinis copiâ, ac viribus ægri id permittenti-  
bus venæ sectionem hic nobis suppeditat non parum san-  
ne causæ materialis cum sanguine simul ablaturam: cu-  
quoque rei aliquando cucurbitulæ scarificatæ, aut eva-  
cuatio per hæmorrhoidales externas non parum insen-  
vient. *conf. Hipp. s. 6. aph. 11.* Maximum quod præstare  
hic dextra Chirurghi manus potest, ipsa est calculi ex ve-  
sicâ extractio, quæ sectione ut plurimum perficitur. Et  
quanquam periculosa admodum hæc sit operatio, ut in-  
de Hipp. in jurejurando discipulos obstringat ne calculi  
laborantes fecent; sed magistris ejus artis peritis id mu-  
neris concedant, cum tamen sectiones has felicissimè  
hodiè peragi videamus, & eodem dicente *Coo. s. 1. aph.*



ad summos morbos summæ ad vnguem curationes adhi-  
tæ optimè valeant, vide & *aph. ultimum* tantum abest,  
et sectionem hanc è foro medico eliminemus, ut eam po-  
tius ceu unicum sæpè ad sanitatem recuperandam reme-  
dium magni æstimemus; cum Hippocr. in Renum e-  
am calculo sectionem admisisse ex *lib. d. Inter. affect.* ap-  
parent. De modo extrahendi non est quod hic dicamus.  
Consuli hic compendii loco potest *C. Celsus l. 7. c. 26.*  
*ennert. Inst. Med. l. 5. p. 1. sect. 2. c. 13.* Ut & qui opti-  
me εξασπεσιν hanc exposuit *Ioan. von Horne in Microtechnè.*

XIV. Ex Pharmaceutico fonte suppeditantur (1) *Emetica*, quæ ægri conditione id ferente, humoribusque  
in primis viis stagnantibus, materiam lapidificam ma-  
turè evacuantia ne concrecere postmodum in reliquis  
viis possit prohibebunt. Succedunt (2) *Clysteres* qui si-  
militer dictam illam calculorum materiam auferen-  
do aliquid semper venturo morbo valent detrahere. *A-*  
*vicenn. l. 1. Fen. 4. c. 17.* (3) *Cathartica* sequuntur quæ  
potissimum à molestâ hac pituitæ & aliorum humorum  
sarcinâ corpus nostrum liberandi vi pollent, quale præ-  
sertim purgans esse existimatur Terebinthina, sive per se  
in jure aliquo sumta sive pulveri Rad. glycyrrhiæ aut  
rhabarb. permista. Commendatur & Cassia, mel ros.  
solut: Rhab. & alia. Conferunt hic tandem (4) *Diuretica*  
quæ vias urinarias abstergendo, materiam mucosam,  
arenulasque excludunt, qualia apud practicos laudata  
sunt fol. Matricariæ. fol. & rad. ononidis, petrosel. na-  
sturt. &c. &c. vide inter alios *S. Schönborn. manuale Med.*  
*Pract. d. Diureticis.*

XV. CURATORIAM <sup>vero</sup> ~~methodum~~ <sup>principali =</sup> ~~methodum~~  
~~methodum~~ in calculi ipsius jam concreti amotione consistere  
videmus, quam sanè Lithonriptica potissimum mo-  
liuntur, sive occulta sive manifestâ id agant qualitate

Com



Commendantur hic præcipuè lapis nephriticus, oculi  
Cancri, Rad. nymph. lapis judaicus, Magist. Pisolithi lapi-  
dis, vid. *Rolfincti præceptoris olim mei non sine præfa-  
tione honoris nominandi Chym. in art. form. redact. l. 5.  
f. 3. c. 43.* & innumera alia, in quibus recensendis jam non  
occupabimur. Multis alias in hoc affectu encomiis nobi-  
lissimum est medicamentum ex Asellis paratum. vid. *Ho-  
rat. Augenium, Sennert. in praxi. Guil. Lauremb. in Epistoli-  
câ de hoc morbo dissert.* verum an tutò satis pulverisati ii-  
dem exhiberi ægrotantibus possint maturiori aliorum  
judicio expendendum relinquam, cum millipedes eos-  
dem in pulverem s. a. redactos & assumptos post debitum  
temporis intervallum vivos iterum non sine titillatione  
magnâ ex fistulâ urinaria in Viro magni apud Theolo-  
gos nominis prodiisse ipsum testem habeam Virum  
Magnificum, à quo tum temporis calculo laborante,  
magno sane studio aselli illi redivivi fuerunt asservati  
pluribusque postea non sine admiratione ostensi.

XVI. DIÆTETICUM jam ultimò quod concernit  
fontem, vult ut *aër* quoad fieri potest eligatur purus  
serenus & temperatus. *Viçtus* assumatur ille, qui quan-  
titate non excedens, facilis est concoctionis, qualem  
passim pluribus describit Galenus. *Motus* instituatur mo-  
deratus cum sedentaria vita plurimarum cruditarum cau-  
sa existat; *Somnus & vigilia* modum non excedant. *Hipp.  
sect. 2. aph. 3.* *Balnea* aliquando tam Naturalia quam artifi-  
cialia admittantur. *Animi pathemata* sint moderata  
*Excreta* denique nullo retineantur modo, quin aperta  
potius ferventur viæ, quo materiæ exeunti fores semper  
& valvæ pateant.

F I N I S.



# COROLLARIA.

I.

*Renes ad Generationem multum conferunt.*

II.

*Ossa sentiunt.*

III.

*Post casum dentium novi non nascuntur.*

IV.

*Homo sobrius, eum, qui cibis se oneravit, pondere superat.*

V.

*Excrementa mucosa qua per nares & palatum deveniunt, per os cribrosum aut cuneiforme eò non derivantur.*

VI.

*Medici professione, non opere, veri Medici non sunt.*

VII.

*Pulmones sanguificant.*

VIII.

*Lympha motus est à circumferentia ad centrum.*

IX.

*Humores plerique partes corporis sunt, non omnes.*

X.

*Diarcho eam sine purgatione tollere velle aque est difficile ac pleuritidem sine venasectione.*



COROLLARIA

I.

Primo ad Generatorem multum confertur.

II.

Officium.

III.

Postquam duntaxat non est.

IV.

Primo duntaxat non est.

V.

Primo duntaxat non est.

VI.

Primo duntaxat non est.

VII.

Primo duntaxat non est.

VIII.

Primo duntaxat non est.

IX.

Primo duntaxat non est.

X.

Primo duntaxat non est.